



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Vitus Martyr. 15. Iunii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

## S. VITUS MARTYR. 15. Iunii.

**L**Iberalius cælum Româ etiam pueris triumphum non negat. Certè Vitus adolescentulus duodecim annos natus plures jam tyrannos, eosque inter parentem triumphavit. Flagra enim primò Christianâ fortitudine concoxit, & poterant videri aërem verberasse, non VITUM tortores, nisi & his, & una Valeriano Proconsuli manus diriguisset. Restituit tamen hanc martyr tyranno, ne quem vinceret, deesset. Hinc aulâ est inclusus à mulierculis, & ceteris illecebris instructâ, quò blandiore, hoc periculoso scilicet carcere. Sed præstanti Cælites adfuere tantâ luce coruscî, ut lucem curiosi parentis oculis eriperent. Et hos tamen, quò filium sapius victorem vel invitus videret, ingratato reddidit; ipse, atrociora parre supplicia meditante, Angelo remige usus, in alias terras trajecit. Decrevere nimurum cæli, ut Romæ etiam triumpharet hæc virtus. Huc itaque evocatus, è Diocletiani filio malum hospitem orcum pepulit; sed stipendia tulit vincula. Ad bestias deinde damnatus, etiam has citius cicures, quam tyrannum reddidit. In ollas porrò injectus, igne ac pice timendas præthermis suis has Diocletianum laudavit. Ad extremum ex equuleo à genio

15. Iunii. VITÆ SANCTORUM. 377  
genio tutelari ad ripas Silari asportatus,  
placide inter umbras arboris animam  
victricem cælo transmisit, puer, si annos;  
senex, si triumphos numeremus. Ex Su-  
rio.

Neganda sunt terrena omnia, ut melio-  
ribus abundemus, & contemptu universo-  
rum Christus sequendus est, & spiritua-  
lium Eternitas terrenorum est damno com-  
paranda. S. Hilarius in Evang.

S. LANDELINUS CONF. 15. Iunii.

IN latrones incidisti, quisquis è bono-  
rum sodalitio in malorum conturber-  
nium transfisti. Hoc adeò LANDELINO  
crede. Hic è prima Gallorum nobilita-  
te, & à puero inter literarum & pieta-  
tis studia educatus, dum aures vocanti  
Deo claudit, aperit avocantibus; dum  
amicis esse amicus ad aram studet, penè  
ad inferos fuit. Certè quam inter religio-  
sorum hominum cohortes militare co-  
gnati noluerunt, inter publicos prædo-  
num manipulos mereri viderunt. I nunc  
sanguis, & aspergi maculam generis  
splendori querere, cum in Dei servitium  
abeundi tui; at tu adolescentia audi,  
quantum custodi Angelo debeas! Diripi-  
endis cuiusdam ædibus nox erat dicta  
a LANDELINO. Sed fortior mors LANDE-  
LINI familiam prior diripuit, solum  
subito auferendo, quem in paucis ille

Aa 5

cha-